I.

Supplementum

In

Res Geſtas CAROLI MAGNI Svecorum, Gothor:, Vandalorumq; REGIS & MONARCHÆ ſemper AUGUSTI ſemper INVICTI.

Subminiſtrabat

Auctor Armor: Victric: & Rer: Geſtar:

Anno 1703. Menſ. Martii.

Accrescens morbus jussit modo claudere Rivos,
Consurgens animus qvos reserare jubet:
Mactè igitur mea Musa canas CAROLUMq; Ducesq;
Intrepidos Svecos intrepidèq; canas.

I.

NOn impunè laceſſitur .a. CAROLUS *Duodenus*!
Plus ultra *intrepidè tendit ſemel armiger* .b. *ille*;
Qvôqve volet ſeqvitur Regis fortuna .c. *DEUSqve*:
Neſcit *enim* Occaſum *magnus vigor iſte* .d. *refulgens*
Cæſare in hoc Gothico; Gladio *qvi* vindice *mundum* .e.
Vindicet oppreſſum! his fulcris *Svecia tanta eſt* .f.
Præmia *moxqve leget* .g. *cuncta* Victoriæ *&* *Orbis*
Applauſum; h. meruit plures .i. *omnesqve Coronas*
CAROLUS .*k*. Undecimis *Carolis* perfectior *Heros*!
A qvo tota DEO *defertur* .l. Gloria ſoli
Cujus Jo *Vivat*! .m. *binos circumſonat Axes*,
Cujus in obſeqvium .n. *alma* ligat Concordia *mentes*;
Cujus conſilium reddit Prudentia .o. *fauſtum*,
Cui terræ Imperium *&* pelagi'' .p. *ſors deſtinat alta*!
Aurea libertas *aliis* in pace .q. *videtur*,
Major at eſt aliis .r. ſpes abbundantiæ *in armis*,
Incerti ſunt alii regnum *qveîs* .s. *reddere* firmum
Sit melius; *toto* CAROLUS *modo Marte* .t. triumphat
Arbiter ut *belli certus de Pace* qvieſcat.

I. In Hieroglyphica ab Illuſtriſſ: *Teſſinio* Sacr:Reg:Maj. Aulæ Marechallo &Summo Architecto 15. Febr. A. 1701. Holmiæ repræſentata. *a*. Symboli hujus olim meminiſſe Juvabit æmulos Sveciæ. *b*. Nec ſemper vincet victis ut parcere poſſit: *c*. plurimum ſane CAROLUS fortunæ debet, ſed plus adhuc ſibi & virtuti, qvam ſolus omnium mortalium adeo in poteſtate habet, ut ne qvidem fato vel minimum juris in illam relictum eſſe videatur. *d*. Infatigabilis, æternus. *e*. primi Orbis Cæſares toti in eo erant, qvo modo mundum opprimerent, ut ſoli dominarent; aſt novus hic Cæſar regna vindicat oppreſſa, qvo & cæteri tuto regnare poſſint. *f*. & famâ CAROLI jam fruiturq; ſui. *g*. Reuniendo Corpori Sveciæ derelictas olim Colonias, Nimirum Samogothiæ, Curlandiæ, Semigalliæ, Pleſcoviæ Holmgardiæ & Careliæ tractus. *h*. Ob humiliatam Moſcorum, Tartarorum & Coſaccorum potentiam toti Orbi ſane formidabilem; nî Svecorum arma tantis auſpiciis interveniſſent. *i*. vid. qvæ hîc ad lit. n. & p. & qvæ infra ad Num. 19. annotata. *k*. olim nomen iſtud Sereniſſ. CARL vel KARL non niſi Heroibus & fortisſimis Gothorum datum. *l*. *Magna* ſane Regi Gloria debetur, qvod nec adhuc Juvenis, parvâ admodum manu, breviqve ſatis tempore, tot tantosq; Reges & nationes debellaverit; *Major*, qvod ſemetipſum vîcerit victisq; pepercerit; *maxuma* qvod ſoli Deo cuncta referat· *m*. hoc eſt: Cujus res geſtas totus miratur en Orbis. *n*. tam incomparabili enim Regi omnes obſeqvi & ſinguli vellent; ſi Diis placeret. *o*. Prudentia & experientia Illuſtriſſ. Comit. à PIPER. Sacr. Reg. Maj. Senatoris & Summi Cancellarii *p*. ſi computes annos belli exiguum tempus, ſi Res geſtas ævum putes. qvod poteſt eſſe documento CAROLUM hunc non tantum Sveciæ ſed toti ſane Orbi natum: *q*. Inter arma enim & leges, & terras, & commercia ſilere experti ſunt. *r*. ex rapto vivere ſolitis omnemq; in armis ſalutem reponentibus. *s*: pace an bello. *t*. id eſt; Victorias jam totus victoriis nectit, qvò ſic belli, qvod toti ſane mundo imminere videt, victorioſiſſimus Arbiter, pacem oppreſſis pro lubitu redonare poſſit! id qvod DEUS Ter Optimus, ter Maximus, ter Juſtiſſimus bene vertat!

II.

CEde ſuperba mari a. Claſſis ! Rex ipſe Gothorum
Navarchi b. atqve Ducis fungitur officio.

III.

GYLLENSTIERNA Danos Rheinbeckâ pellit & urget a.
Sic Tönninga ruens b. ſolvitur excidio.

IV.

SEelandi a. CAROLO, portant Cimbri b. FRIDERICO c.
Palmas, Holſatis redditur alma d. qvies.

V.

PArva manus Muſcas viginti mille repellit,
Sic totidem Moſcos a. Svedica parva b. manus.

VI.

AH Moſci ! Moſci ! qvæ vos mala Gloria cœpit ?
Ingria, neſcitis ? funera voſtra parat ! a.
Cedite mox latebris, infauſtis cedite caſtris
Ad Narvam Moſcum mors ſua b. qvemqve manet !

VII.

OPprimit æternæ a. prior annus b. fœdera pacis,
Æternos hoſtes c. opprimit d. una dies e.
Crimine f. qvæ Moſci celebris Gothiæqve triumphis;
Qvâ jurât Czaarus g. vincit en hâc CAROLUS. h.

II. *a.* Claſſis Danorum ſub initium belli mari Svecorum vulgo Balthico fata admodum dura comminabatur; Claſſe vero Svecorum ductu CAROLI accelerante qvanto ocyus cedebat & Haffniam vento nimis ſecundo revehebatur *.b.* qvo totus terrarum mariumqve Orbis primo ſtatim intuitu videret Regem hunc intrepidum nec aqvâ nec igne dimoveri poſſe,

III. *a.* *Gyllenſtiärna* Sacr. Reg. Maj. Summus Campi Marechallus & Gubernat. General. Ducat. Bremæ & Ferdæ ſtipatus Nicolao à *Strömberg* Sacr. Reg. Maj. Marechallo Campi (vulgo General Major) & duabus tantum nî fallor legionibus. *.b.* Aditu enim Rheinbeckæ recluſo Confœderatorum Svecorum Batavorum & Lüneburgenſium copiæ Holſatiam inundabant Regemq; Daniæ Tönningâ ut ut pene devictâ abſtrahebant.

IV. In ſucceſſus belli Holſatici. *.a.* Quos enim devaſtare potuisſet, clementisſime ſervabat REX generoſiſſimus. *.b.* Jutiæ, Sleſvic. & Holſat. Cives. *.c.* Summo Sleſvic. & Holſat: Duci, CAROLI amico & affini. *.d.* Pace Travendalenſi per excenſionem CAROLI in Selandiam acceleratâ.

V. *a.* Eqvitatum intelligo & Hordas *Sheremetioſis* ſumi Moſcoviticorum eqvitum Præfecti, cujus curæ & virtuti commiſſum erat anguſtias viarum Narvam ducentium occludere & tueri. *.b.* Præcurſores legionum Svedicarum Narvam properantium.

VI. In Ingriam Moſcis nunqvam non fatalem *.a.* vid: infra Num. 8. *.b.* ad Narvam Moſcorum alios mors moralis ſive infamia rei male geſtæ, alios mors civilis ſive captivitas; alios mors naturalis ut ut violenta manſit: alii enim igne; alii aqvâ; alii enſe; alii inediâ; alii frigore tanqvam ſua morte peribant.

VII. *a.* Pacis Cardiſienſis, religioſo & ſancto ſatis ſacramento renovatæ & firmatæ Moſcuæ. 8 Nov. A. *1699.* *b.* prior pro primus. licent. Poetic. *c.* juratos hoſtes. *d.* Diſpergit, exarmat, peſſumdat, occidit. *e.* Una eademqve dies. 20. Novembr. *f.* perjurii. *g.* Jurato enim CZAARUS promiſerat literis ad Regem Moſcuâ 20. Nov: *1699.* datis ſeſe fœdera ac pacta Cardiſienſ., Plyſenſia & Moſcuenſ. ſanctè fideliter & conſtanter ſervaturum. *h.* Congreditur, pœnas perjuro à ſangv: ſumens. d. 20 Nov 1700. vid. infr:

VIII.

D Iſcite a. jam Moſci melius b. ſervare Gothorum
Fœdera! fœdifragos debita pœna manet c.
Principium ſecli vobis fatale fuiſſe
Noſtis d. ut & medium e. finis acerbus erat! f.

IX.

R Edditur Arx Dunæ a. magno cum fœnore Svecis b.
Auguſti incertum c. nomen & omen habens.

X.

S I verum eſt qvod amet a. ſemper Victoria teſtes;
Qvod Clades ſocios b. ſemper & omnis amet:
Rex ſalva eſt! habuit CAROLI *Victoria teſtes, c.*
Saxonis en Clades qvos habuit ſocios.

XI.

C Edite Lechiades a. CAROLO b. *cui militat æther!*
Cœleſteſqve nives plura c. trophæa parant;
Cui parent SVEDi, gens armis neſcia vinci, d.
Qvamqve DEUS *fêcit Maximus Ipſe ſuam! e.*

XII.

VIII. *a.* Felix, qvem faciunt aliena pericula cautum; infelicisſimus autem, qvem ne propria qvidem pericula cautiorem reddere poſſunt; ſed ferò ſapiunt Ruſſi! *b.* Malè enim ſervaſtis fœdus Teüſinenſe A. 1595. pejus Stolboenſe A.1617; aſt peſſimè Cardiſienſe A:1661. contextum; pactisq; Plyſenſibus A:1666. & conventionibus Moſcuenſibus A.1684 & 99. corroboratum. *c.* divina perjurii pœna eſt exitus, humana dedecus. Cicer. de Legib:; felicem ſcivi, non qvi, qvod vellet haberet; ſed qvi per fatum non data non cuperet. Auſon: Eidyll: 2.v.23. *d.* Jngriâ enim & magna parte Careliæ, qvas à Joh: Baſilid: I. ſeculo malá licet fide poſſederant, libertatem & pacem A.1617. redimere cogebantur. *e.* immemores Moſci ſeſe Svecorum armis & virtuti imperium æqve ac libertatem debere, utpote qvorum auſpiciis Demetriorum faucibus erepti erant; diſtractis A.1656. Svecorum per Poloniam, Germaniam & Daniam copiis, Livoniam, Jngriam & Careliam ſub- & obreptitie invadebant, ac Dunæburgo, Kockenhuſa, & Dorpato bello creſcente occupatis ſeſe Dominos Orbis im̃aturè jactabant, aſt fine belli tam injuſti fauſtis his initiis haut reſpondente nullam niſi in pace Cardiſienſi A.1661. ſalutem ſibi ſupereſſe credebant. *f.* Annus 1700. vid: ſupra.

IX. *a.* Tribuno & Præfecto *Albedylio*, cujus ſub auſpiciis igne & inediâ premebatur. *b.* Exuviis Lithuaniæ, Curlandiæ & Livoniæ ſcatens totoq; pene apparatu bellico & tormentis Saxoniæ repleta. *c.* Nova munda vulgò Dünæmünda à Saxonibus mediâ ferè in pace occupata & præpoſterè infauſtôqve ſatis omine Auguſto-burgum appellata, eadem cum Cobrono, ab illis Oranienbaum dicto, fata ſortiebatur: ad Dominum redeunt qvæqve fuêre ſuum!

X. *a.* Secundum iſtud *Ludovici* 14. Namurcum expugnantis. Amat Victoria teſtes. *b.* ex ore Poetæ: Solamen miſeris ſocios habuiſſe malorum. *c.* Moſcos nempe ad Dunam & Polonos ad Cliſſoam!

XI. *a.* Poloni, Lithuani, Ruſſi, Boruſſi. *b.* pro ſalute & libertate veſtra ſe ſuosq; offerenti. *c.* ſicuti Victoriam ad Narvam miraculoſe præparabant. *d.* Epitheton hoc glorioſum non gladiis Svecorum inciſum; nec bombardis illorum & tormentis ſuper infuſum, ſed pectoribus omnium & ſingulorum innatum eſſe tot retro ſeculorum Victoriæ demonſtrant. *e.* ſuam nempe gentem; alludendo ad nomen iſtud myſticum SVED qvod retro lectum DEUS eſt, vel ſi mavis ad puriorem qvam profitentur inter Chriſtianos religionem.

XII.

A *uſpiciis* CAROLI *Gothia eſt nec pluribus impar a;*
Cimmeriis, Scythicis, Sarmaticisqve plagis!

XIII.

V *Ivens* a. *&* *moriens* b. *cunctans* c. *pugnansqve* d. *triumphat*
Totus qvi CAROLI *ſangvine* e. *dignus erat!*

XIV.

N *Ulla ſalus armis! diſſolvite Caſtra Poloni,*
Gyllenſtiärna, *venit* a. *cedite, abite domum* b.

XV.

E *Cce perire* a. *Gothis ac non ſuperare* b. *perinde eſt;*
Certatimqve c. *mori, cedere qvam, ſatagunt!*

XVI.

E *Cce aliis animus* a. *tandem decreſcit eundo;*
Qvicqvid at eſt alto ſub Jove Svecus b. *adit!*

XVII.

O *Ccaſum neſcit* a. *Svecorum ſtella Polaris;*
Occidit ut ſurgit b. *Magna* c. *Cometa triceps.* d.

XVIII.

S *Ic Aqvilas* a. *Eqvites* b. *Leopardos* c. *brachia* d. *&* *enſes.* e.
Hicce Leo f. *ſolus proterit ungve ſuo.*

XII. *a.* Etiamſi plures mundi plagæ adjicerentur Danorum, Moſcorum & Polonorum imperio ſola certe Svecia tanto ſub Rege omnibus & ſingulis haut impar foret!

XIII. Glorioſisſimæ memoriæ, *FRIDERICI Intrepidi*, Summi Sleſvic: & Holſat: Ducis, *a.* Ad Segebergum Pace Travendalenſi vivens, *b.* Ad Cliſſoam Clade Polonorum & Saxonum triumphabat moriens. *c.* Oſtendendo arma, & exſpectando Succesſus Tractat: Pac: Travendal: *d.* Sorore Regis, Principe incomparabili! *d.* Regendo alam ſiniſtram Exercitus Regii.

XIV. *a. Gyllenſtierna* Sacr. Reg. Maj. Summus Campi Marechallus & Gubernat. Gener: Ducat: Bremæ & Ferdæ, ſtipatus Nicolao à *Strömberg* & *Ridderbielmio* Marechallis Campi exercitu ſic dicto Pomeranorum [ex 2. legion: una eqveſtri & pedeſtri una Illuſtrisſ. Comitis Georgii à *Mellin* Sacr: Reg. Maj. Senatoris, ſummi Campi Marechalli & Gubernat: Gener. Ducat: Pomeraniarum & Dominii Wismarienſis, ex 1. legione eqveſtri Scaniæ Septentrion. ut & ex legion. pedeſtribus. 1. Weſtro-Gothica, 1. Sudermannica. 2. Smalandicis & 1. Oſtrogothicâ, æqve ac ex 1. legion. deſultoriorum Tribuni *Crasſovii* & 1. eqvitũ Tribuni *Hornii*, formato:] limites Polon: Majoris feliciter tranſcendebat. 8 Jul: A. 1702 *b.* Eventus reſpondebat vaticinio, Nobiles enim Poloniæ majoris caſtra tollebant & diſcedebant.

XV. *a.* Svecis, Gothis, Finnis, Livonis. &c. *b.* ſuperare pro vincere. *c.* certatim mori ſatagunt anteqvam cedant; atteſtari hoc posſunt Germani, Galli, Hiſpani, Dani, Poloni, Moſci & Batavi.

XVI. *a.* Animus bellicoſisſimarum olim gentium laſſeſcebat bellum per tot terrarum mariumq; tractus, per tot diſcrimina rerum, ducendo. *b.* Aſt virtuti, & labori Svecorum nihil ſane invium, nihil arduum Rege maxime præſente.

XVII. *a.* Vid. Generoſisſ. *Lillieſtedii* eruditisſimum Carmen de ſtella Polari Occaſus neſciâ, æternis ſane typis dignum. *b.* inopiniatò. *c.* Magna ſcilicet ſtella. *d.* adumbrans fœdus iſtud tripartitum Hoſtium Sveciæ. XVIII. *a.* Inſignia imperii Moſcovitici & Poloniarum. *b.* Magni Ducatus Lithuaniæ. *c.* Regni Daniæ. *d.* Poloniæ. *e.* Electorat. Saxon. *f.* Imperii Gothorum.

XIX.

BIs tres jam meruit CAROLUS *virtute Coronas!*
Tres tria regna dabant; tres a. *qvoq; fama dedit!*

XX.

TErminus Herculeis Gades famosa a. *Columnis*
En fuit; ast CAROLI b. *terminus Orbis erit!*

XXI.

DEsine MAGNE *tuos* CAROLE *adcumulare triumphos* a.
Haut præbent tantis b. *secla futura fidem;*
Parce piis armis Victo c. *prosterne superbos* d.
Sic stabunt nutu regna e. *cadentqve tuo.*

XXII.

NIl nisi cedis a. *agis Saxo, nam vincere nescis,* b.
Nec vinci c. *bene scis; solus* d. *utrinqve peris:*
Et si non credunt e. *Victori posthuma secla,*
Ad minimum Victis f. *sunt habitura fidem.*

XXIII.

QVæris cur CAROLUS *ducibus* a. *sit fortior omneîs?*
Fortis ejus spatium est Cordis ac Orbis idem.

XXIV.

GEntibus est aliis data tellus Climate fixo a.
Te Duce b. *erit Gothicus Solis* c. *uterqve Polus!*

XXV.

JUpiter ex alto a. *nostrum dum spectat in Orbem* b.
Nil nisi Res gestas teqve tuasqve videt. c.

XIX. *a.* TresCoronas triumphales fama jàm jam Regi Victori adjudicavit & ob tres Reges, qvos debellavit; & ob tres Victorias, qvas ad Narvam, Dunam & Clissoam reportavit.

XX. *a.* Famosa illa peninsula vulgoCadix appellata. *b.* CAROLIcolumnis terminus erit termin9 Orbis.

XXI. ProsopopœiaSaxonum. *a.* Eò usq; triumphos triumphis adaugere ratum est, dum videntur fidem non excedere, ubi multum antevenêrunt, certe ab incredula posteritate aut miraculis adnumerantur aut fabulis; *b.* Rebus tam brevi tempore, tantâ fortitudine tantoq; successu gestis. *c.* Parce Victo & supplici; fac Orbis dubius hæreat, clementior ne, an fortior sis? *d.* Armatos, minaces & qvos perfidiæ suæ & perjurii non pœnitet. *e.* Sic instar Deorum clementer & benigne servabis, qvos fortiter & juste pessumdare posses.

XXII. ProsopopœiaSvecorum. *a.* Valedicendo terris & imperio Poloniarum. *b.* Regem hunc nostrum, invincibilem, à DEO datum, Patreqve insuperabile bello natum. *c.* Reparare vires & compensare clades. *d.* Præsentibus qvidem; sed spectantibus tantum sociis. *e.* Tot tantasq; expeditiones & Victorias. *f.* Devictarum nationum Historicis ausus belli tanti & exitus qvâ par est fide repræsentantibus.

XXIII. *a.* Alexandro, Cæsare, Carolis, Gustavis, Henricis & Ludovicis magnis aliisq; Heroibus & exercituum Ducibus. vid. supr.

XXIV. *a.* Vel limite certo, qvem transgredi astra prohibere videntur. *b.* Te Victore semper pio, justo, intrepido; *c.* Orbis uterqve Polus.

XXV. *a.* Cœlo. *b.* Sublunarem. *c.* Nil nisi CAROLUM CAROLIq; res Gestas obtuetur & æstimat.

XXVI.

TU *Turmis* REX *Magne volas*! a. *qvis verſibus ultra* b.
Scribere Res geſtas Teqve tuasqve poteſt?

XXVII.

TEmporis *hæcce mihi* a. *plus conſtant atqve laboris*
Carmina, qvam conſtent prælia tanta tibi; b.

XXVIII.

MActe *Comes* Regis a. *felix* b. *prudensqve Senator*! c.
Macte tuis ſurgit d. *Svecia conſiliis*: e.
Macte diu noctuqve f. *agitur Res publica Mundi*! g.
Fac Orbis h. CAROLO i. *deferat omne* k. *tuo*.

XXIX.

CArolus *hic* a. *magnâ ex ortundus ſtirpe* b. Stuartus
Impiger c. & *cautus dum ſatagit regere* d.
Curlandos victos Semigallos ac Samogetas; e.
Regius f. *en* Regis g. *rem bene macte gerit*! h.
Dumqve manu parvâ i. *Lithuanos* k. *atqve Coſaccos* l.
Occupat m. & Regem n. *mole* o. *levatqve Livos*. p.

XXX.

SUnt *qvi me Vatem*; *Sunt qvi mea Carmina rident*:
Militis Officium Carmina ferre negant; a.
Livor edax illos, hos Ignorantia vexet!
Prælia b. *dum fortes Arma* c. *Viroſqve* d. *cano*! e.

XXVI. *a.* Holmiâ Haffniam, Haffniâ Narvam, Narvâ Rigam, Rigâ Cracoviam exercitu tuo verè
volante properaſti, qvôq; Spiritus ille cæleſtis, qvi venas tuas intravit habitator, te Cracoviâ ducit, in-
trepide ſeqveris. *b.* qvis unqvam mortalium tantam velocitatem qvâ decet ingenii felicitate exprimere
poſſit? XXVII. *a.* Mihi Valetudinario, invitâ inſuper minervâ componenti. *b.* Tibi præliis aſſve-
to & de Victoriis per Deum ter juſtum ſemper certo. XXVIII. in Illuſtrisſim: Comitem *Carolum*
Piper. Sacr: Reg. Maj: Senatorem & ſupremum Cancellarium. *a* *Svecorum, Gothorum, Vandalorumq.*
b. Ab incunabulis usq; belli tanti Regem hunc intrepidũ per aqvam, per ignem, per globos & enſes co-
mitans. *c.* Qui non, qvod ante pedes modo eſt, videt; ſed etiam illa, qvæ futura ſunt, proſpicit. *d.* Viget,
floret, ac creſcit. *e.* piis, juſtis, intrepidis & cautis. *f.* ponderando rerum momenta. *g.* Salus enim mun-
di & præprimis Europæ ex CAROLI ſalute & victoriis pendet. *h.* Bella nectens inextricabilia. *i.* Pien-
tiſſimo-juſtiſſimo, victorioſiſſimo. *k.* omne arbitriũ belli & pacis præcipue Auſtriacos inter & Hiſpanos
illorumq; armis adhærentes. XXIX. *a.* Illuſtr: Dn. *Carolus Magnus Stuartus*, Sacr. Reg: Maj: Campi Ma-
rechallus, Gubernator Curlandiæ & Semigalliæ ſumusq; Caſtrorum metator. *b.* ducit enim originem ex
Stuartis Scotiæ olim nunc Angliæ qvoq; & Hiberniæ Regibus. *c.* Semper attentus, ſemper indefesſus.
d. eâ qvâ convenit juſtitiâ, manſvetudine & circumſpectione. *e.* Per *CAROLI* ſemper *Auguſti* arma victri-
cia. vid: Carm. 2. Rer: geſtar: *f.* ortu & officio; fungens munere pro-regis. *g.* ſemper invicti. *h.* nomine & o-
mine *CAROLI* ſemper fauſto. *i.* tribus ſaltem aut qvatuor legionibus ni fallor Tribunor: Knorringii, Co-
mit: Lövvenhauptii, Poſſii & Kruſii. *k.* turmas Wiſnovvitzkii, Oginskii, Zaraneckii & Kociolis. *l.* Ab extre-
mis Podoliæ & Lithuaniæ plagis conflatos. *m.* Exigendo debita belli onera à Lithuanis & Samogetis imu-
nitati & licentiæ aſſvetis. *n.* Saxones ad fines usq; Hungariæ & Podoliæ perſeqventem. *o.* pondere exerci-
tus Saxo-Lithuan: & Coſaccorũ. *p.* Livonos & præprimis accolas Dunæ, qvorum terræ qvotidianis alias
incurſionib⁹ paterent. XXX *a.* imemores forte Horatii & Claudiani Tribunor: militũ & Poëtarum. *b.* ad
Narvam, Dunam & Cliſſoam. vid: Rer. geſt: Carm: 2. & Supplem: *II.* *c.* pia, juſta, victricia. *d.* *Regem* incom-
parabilem; Duces juſtos, intrepidos, experientisſ:; Milites fortisſimos, infatigabiles, frugaliſſ: obedientiſſ:
ſemperq; Victores. *e* ſecurus cenſuræ omnis & odii, reſervando ulteriorem omnium & ſingulorum ex-
plicationem ſemper ſalvam.